

		Diebus	Horis	′	″	‴		
Astronomi calculatores observarunt	Mercurium	87	23	15	16	—	Lationem suam perio- dicam ab- solvere.	
	Venerem	224	17	53	2	—		
	Tellurem	365	5	49	15	48		
	Martem	Anno 1	321	23	31	56		49
	Jovem	Annis 11	317	14	49	31		56
Saturnum	Annis 29	174	4	58	28	30		

Movetur autem Sol activè ab intrinseco quia ignis est, ignis enim absque motu non potest esse, uti videre est *lib. 3. cap. 12. de Igne in vacuo*; & aurum, materiam omnium gravissimam, in testa per ignis calorem liquefactum, sese centraliter movere videmus, multò magis id à Sole concipimus fieri.

Atque sic per hanc Solis vertiginem & circumcirca in longum aclatum sphaericè emissam virtutem, à Solis attritione in corpus Planetarium distans agente, Planetarum fit Latio.

Quamquam autem Solis Virtutes tam vastum & ingens spatium permeent, ejusque radii adeò longè lateque sese diffundant, ut nulla ratione

humana comprehendi possit, imò nobis mortalibus omninò incredibile sit; tamen non supponendum, eos in infinitum se extendere; sed sicuti nullius creaturæ vires in infinitum se extendunt, sic quoque Solis virtutes, fines suos habent & longà denique distantiarum intercapedine exhaustæ, deficient. Quod autem longius, etiam ultra Saturni sphaeram effluant, sana dicitur ratio; etiamsi enim finis à nobis tam certè definiri non possit, tamen in virtutum orbibus, proximiorum scilicet stellarum Fixarum (quæcunque illæ sint, fortasse Canis major, Lyra lucida, &c.) denique terminari, præsumendum, ac proinde finem nostri Planetarii Mundi statuendum esse.

Tandem debiliores fiunt & finem sumunt, unà cum Mundi fine.

CAPUT VII.

De Corporibus Mundanis.

IN Mundo vel etiam *ut ita dicamus* in Universo, præcipua primariorum Corporum genera, tria esse, quæ quoque uno vocabulo, ASTRA vocantur: ipsa evidentia testatur. Alia enim sunt Solaria, alia Planetaria & alia Lunaria.

Solaria Mundana corpora sunt ea quæ per se lucent, adeoque dicuntur lucentia corpora, prout sunt Sol & stellæ Fixæ; è quarum singularum loco, Sol non major neque aliter spectabilis esset, quam illæ è loco Solis.

Planetaria Mundana corpora sunt, quæ aliunde, nimirum à Sole (vel aliis Fixis, si circa eas quoque ejusmodi corpora sint) lucent, unde dicuntur luminosa; è quorum singulorum loco, Terra non aliter spectabilis esse potest quàm illa è loco Terræ. Hæc cor-

pora in spatio æthereo intra orbem virtutis Solis circumferuntur; suntque dotata, virtute vertente ac dirigente, & suis aëreis ac atmosphaeris involuta.

Lunaria Mundana corpora, sunt Planetariorum Sociæ & vilioris conditionis quam illa. Non à Sole circumferuntur (quia ob parvitatem suam sunt extra debitam vel naturalem orbis virtutis Solis distantiam) sed à Planetis ipsis; neque gaudent virtute vertente & dirigente.

Planetaria & Lunaria corpora Mundana, tametsi opaca & Elementis condita sint, non tamen in proprietatibus concordant, sed tot diversa sunt, quot sunt, ut incomprehensibilem Conditoris Majestatem in creaturis ostendant.

Lunaria.

Planetaria & Lunaria corpora inter se sunt diversa.

Solis virtutes sese per vastum & incredibile spatium diffundunt.

Corpora Mundana sunt triplicia.

Solaria.

Planetaria.